UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 128. Anna Matthiæ Cæsaris Conjux in Bohemiæ Reginam Pragæ inaugurata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67313

Visual Library

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CXXVIII.

Anna Matthiæ Cæſaris Conjux in Bohemiæ Reginam Pragæ inaugurata.

Merc. Gal. lob. tom. II. *l.* I. *l.* 2. *Jacob Maurer Ret. Hiſt. cont. p.* 101.

Sub primis anni poſt Chriſtum natum milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti auſpiciis die decima Januarii Anna Matthiæ Cæſaris conjux inter duos Epiſcopos Cleſelium Viennenſem, & Quinqueeccleſienſem Pragæ ad Sacellum Divi Wenceslai ſolemni pompa deducebatur, ubi a Pragenſi Archiepiſcopo in Bohemiæ Reginam inuncta, Regio diademate coronata fuit, ipſomet Imperatore, Nobilium quamplurimis, omnibusque Regni Proceribus huic ſolemnitati aſſiſtentibus. Die autem decima ſexta Julii quidam Epiſcopus a Papa ablegatus Pragam advenerat, qui decima poſt adventum die eidem Cæſareæ Conjugi ſacratam a Pontifice Roſam auream gemmis pretioſe ornatam ingenti cum ſolemnitate coram Altari obtulit, quam ipſa devote accipiens, Legatum poſtea multis muneribus auctum perhonorifice dimiſit.

§. CXXIX.